



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXV. Argumentum. Disseritur de Baptismo Fluminis, idest de eo, qui datur per Aquam, vel solemniter, vel privatè. Differentiæ inter utrumque modum. Deipara, S. Jo. Baptista, & Apostoli, à quo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

tas exempla plura habentur apud eundem Bagatam *part. 1. lib. 3. cap. 2. Appendic. 1. num. 8. & 9. & seq. & Ang. Raccham in tract. de Campanis cap. 7. Tandem.*

Festaque honore: Siquidem festivus Campanarum sonitus in honorem Sanctorum, & eorum festivitatum valde delectat Cælum, & terram. Hinc eo die, quo S. Antonius de Padua relatus fuit inter Sanctos, Campanæ omnes Civitatis Ulyssiponæ, nullo eas movente, personaverunt. Surius in *vita S. Anton. 13. Junii.* Ad hunc effectum Synod. Patavina *d. part. 3. cap. 9.* ita statuit: *Vesperis festivitates precedente, post Angelicæ Salutationis signum, populus earum omnium (Campanarum) sonitu de solemnitate præmoneatur. Dominicis, & aliis festis prolixius, omnesque simul pulsantur; quæcunque verò sit occasio, secundam noctis horam non excedant.* Quod tamen perperam servatur, ob incuriam Superiorum, à quibusdam Monialibus, quæ integra nocte Campanas pulant, in propria salutis detrimentum & cum vicinorum fastidio, ut notat etiam Casalius de *Sacris Veter. Ritib. part. 3. cap. 43. in fine.*

Corollarii loco illud non ignorandum in tanta veneratione olim fuisse pulsationem Campanarum, ut Conc. Colon. *part. 3. cap. 31.* sanciverit, eas non nisi à Clerico superpelliceo induto pulsari; quod etiam præcepit S. Carolus Borromæus *Conc. Diocesana. 4. Decret. 28. & Actor. Mediol. part. 4. pag. 788. col. 2. & part. 6. pag. 984. col. 2.* Qui plura, & quidem omnia curiosa scire cupit de Campanis, & de Campanilibus legat meas Decisiones de *Sacrificio Missæ Decis. 45.* per totam. Hic unum addo, Campanam fuisse baptizatam Anno Christi 520. à S. Maximino Abbate Micianensi, ut legitur in *Saculis Benedictinis tom. 1. pag. 607. num. 33.*

DECISIO XXV.

ARGUMENTUM.

Differitur de Baptismo Fluminis, id est, de eo, qui datur per Aquam, vel solemniter, vel privatè. Differentiæ inter utrumque modum. Deipara, S. Jo: Baptista, & Apostoli à quo sint baptizati? & quando? Tripliciter dari potest Baptismus Aquæ, & cur Immersio non sit in usu?

SUMMARIUM.

- 1 Baptismus Fluminis quoruplex sit? & num. 5.
- 2 Fluminis, & sanguinis baptismata an sint Sacramenta?
- 3 Baptismi Sacramentum quando institutum?
- 4 Deipara, & S. Jo: Baptista à quibus sint baptizati?
- 5 Baptismus Fluminis alius sollemnis, alius privatus.
- 6 Sollemnis baptismus quis sit?
- 7 Ritus Ecclesiæ in Sacramentis ministrandis servandi sunt sub mortali peccati pena.
- 8 Differentia inter baptismum sollemnem, & privatum.
- 9 Baptismus Fluminis tripliciter dari potest.
- 10 Baptismus per immersionem in aqua cur non sit in usu?

His de Baptismo Campanarum prænotatis, accedendo ad explicationem specierum Baptis-

mitanquam veri Sacramenti, nunc oportet declarare, Quoruplex sit Baptismus Fluminis? Præmittendum ad majorem intelligentiam, solum Baptismus Fluminis (quod sit elementari aqua, & forma præscripta Verborum) esse Sacramentum; alia verò duo Baptismata, Fluminis scilicet, & Sanguinis non esse Sacramenta; sed analogicè tantum vocari Sacramenta, ratione effectus, quem operantur in anima, remissionis culpæ, & renovationis spiritualis; Unum enim est Baptismi Sacramentum, & non plura, juxta illud ad *Ephes. 4. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma;* quod explicat Layman. *lib. 5. tract. 2. cap. 5. num. 1.* & docet Glossa in *cap. Baptismi vicem De consecr. dist. 4.* ac explicatur à Mastro in *Theol. Moral. disp. 17. n. 8. & in 4. sent. disp. 2. n. 169.* & latius ab Eminen. Card. de Lauræa *tom. 1. in eod. 4. sent. disp. 12. art. 6. n. 70.* Porro sicut discordant Scholastici in assignando tempore in quo Baptismus sit institutus à Christo eo quia nec scriptura nec traditio id doceat, omnes tamè conveniunt, dicentes, Baptismum fuisse ante mortem Redemptoris institutum; tum quia discipuli Joannis aiebant ad illum: *Rabbi, quærat tecum trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* *Joan. 3. 26.* tum etiam quia Christus Dominus in ultima cæna ordinavit Apostolos Sacerdotes, & iisdem dedit Sacram Communionem; ergo erant baptizati, alias non fuissent capaces Ordinis, & Eucharistiæ absque Baptismo, qui est janua omnium Sacramentorum. Layman. *d. lib. 5. tract. 2. de Sac. Baptismi cap. 2. num. 1.* ubi Theologos allegat, Mastro in *4. sent. d. disput. 2. art. 1. per totum.* Et in ejus Theolog. *Moral. disp. 17. num. 9. & 10. Eminentis. Cardin. de Lauræa d. disput. 12. art. ult. num. 96. & 97.* Porro Cornelius à Lapide in *Matth. cap. 3. Vers. 17.* ait Sacramentum Baptismi fuisse institutum à Christo, dum ipse baptizatus fuit in Jordane; sed necessitatem ejus suscipiendi indixisse post suam Resurrectionem ex SS. Patribus ibi citatis. Hinc deducitur, S. Joannem Baptistam fuisse baptizatum à Christo Domino, Menochius in *vita Christi. lib. 2. cap. 3. num. 7.* prout etiam Sanctissimam Virginem MARIAM ejus Matrem. Petrus Canisius de *B. Virg. lib. 1. & Christophorus de Castro in Hist. B. Virginis cap. 15.* & concordat Eutimius *super. cap. 3. Joann.* his verbis: *Scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum, & VIRGINEM MATREM baptizaverit; Petrus verò reliquos Apostolos; quæ omnia discurrendo piè, ac doctè prosequitur P. Menochius in Vita Christi Domini lib. 2. cap. 3. num. 7. 8. & 9. & lib. 3. cap. 3. num. 1. Clavius in Proprium. Evang. resol. 4. Manus in Selectis Histor. cap. 530. & Volpi in resol. Moral. Verb. Baptismus resol. 5. num. 7. & 8.*

His præmissis, dicendum pro responsione Quæsti, Baptismi Fluminis duas esse species; videlicet unam Sollemnis & aliam Privati. Ille dicitur Baptismus Sollemnis, qui confertur cum solemnitatibus, sacris ritibus, & cæremoniis ab Ecclesiæ præscriptis. Ille verò Privatus, qui casu necessitatis datur per aquæ infusionem, omisiss reliquis cæremoniis ab Ecclesiæ in Rituali Romano ordinatis. Layman *d. lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 5.* Gobat. *d. tract. 2. à. num. 480. & seqq. & Eminentis Card. de Lauræa d. tom. 1. de Sac. Baptismi. disp. 15. art. ult. num. 126.* ubi ipsas cæremonias sacras Baptismi sollemnis summarè ponit, ac refert; quod etiam facit Layman. *d. tract. 2. cap. 8. num. 7.*

Et ex

Et ex hac divisione, seu distinctione Baptismi solemnis, & Baptismi privati, Clerus noster quatuor Conclusiones deduxit.

6 Prima Conclusio, quod Baptismus verè & propriè erit solemnissimus etiam si celebretur in domo privata, dummodo administrètur cum caeremoniis, & sacris Ritibus, de quibus in Rituali Romano; ut fieri solet in baptizandis filiis Regum, & Principum in cameris, & hypocaustis eorum Palatiorum, juxta dispositionem *Clem. unic. de Baptismo*, quam refert Gobat, *d. tract. 2. num. 491. Riccius decif. 427. Quintanadven. tract. 1. singul. 21. & Pax Jordan, tom. 1. lib. 3. tit. 1. num. 15.* Nomine autem Filiorum vèiunt etiam Nepotes, & Pronepotes. Gobat ubi supra num. 493. Glos. in *d. Clem. unica de Baptismo. & Fagnanus in cap. Ex transmissa. num. 15. & 16 De Filiis Presbyter. tom. 2. pag. 321.*

7 Secunda Conclusio. Cæremonias, & Ritus ab Ecclesia institutos omittere, aut mutare, in administratione Sacramentorum, vel in Sacrificio, est peccatum contra Religionis virtutem, ex genere suo mortale; nisi parvitas materiæ excuset; ea ratione, quia multum interest ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem servandam, Ritus Ecclesiasticos, præsertim in Sacrificio, & Sacramentorum administratione eosdem ubique servari. Layman, *d. lib. 5. tract. 2. cap. 8. num. 4. & 5.* Quod utinam attenderent, & seriò considerarent Ecclesiastici illi, qui Rubricas Missalis, & Decreta Sacræ Rituum Congregationis parvipendunt; & hoc (quæso) advertant Confessarii omnes; ne, ut suis Pœnitentibus morem gerant, illos dicant non peccare; & abusus approbent quasi consuetudines legitimas; & ita excusationes excusent in peccatis, cum suarum, atque Pœnitentium animarum detrimento.

8 Tertia Conclusio. Magna est differentia inter Baptismum solemnem, & privatum respectu ministri, & patrinus; siquidem Sacerdos, qui est in peccato mortali, & solemniter baptizat, peccat mortaliter; secus si baptizet privatè in casu necessitatis. Gobat, *d. tract. 2. n. 149. ex S. Thom. 3. part. q. 64. art. 6. ad 3.* Subdiaconus Baptizans solemniter incurrit irregularitatem; secus si non solemniter, *cap. 1. de Cleric. non ord. ministr. Gobat d. tr. 2. num. 139. & 140.* In Baptismo solemnè necessarius est Patrinus, secus autem in privato. Diana, *part. 3. tract. 4. resol. 18.* Quæ in Coordinato habetur *tom. 1. tract. 1. resol. 97. Sanchez de Matr. lib. 7. disp. 67. num. 14. Gobat, d. tract. 2. num. 523.* Et tandem Patrinus contrahit cognationem spirituales in Baptismo solemnè; sed non contrahit illam in Baptismo privato. Gobat, *d. tract. 2. num. 480. & num. 577. Sanchez, d. lib. 7. disp. 26. num. 14. Diana par. 10. tract. 16. ref. 30.* reperienda in Coordinato *tom. 1. tract. 1. resol. 95.* Quamvis alii DD. sentiant contrarium; & studiosi nostri de hoc infra sint responsuri.

9 Ultima Conclusio. Baptismus Fluminis conferri potest, vel per immersionem in aqua, vel per infusionem aquæ, vel per asperisionem cum aqua. S. Thom. 3. part. q. 66. art. 1. & 4. Gobat, *d. tract. 2. num. 44. Layman, d. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 4.* Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Sacram. Baptismi *disp. 12. art. 3. num. 26.* Sive per trinam, sive per unicam immersionem, infusionem, vel asperisionem, ita tamen, ut servetur usus, & consuetudo diversarum Dioceseon. Caterum in primitiva Ecclesia usus communior erat baptizandi per immersionem. Layman, *d. num. 4. Casallius*

de Peter. *Sacr. Christ. Ritib. d. part. 1. cap. 5. ubi in Vers. Priscis temporibus* notat, quod Baptizandi ingrediebantur nudi in aquam, in qua terà Sacerdote, seu Episcopo Baptizante mergebantur; & ad hunc effectum Baptisteria fabricabantur, in loco, & situ inferiori, & in ipsa descendebant Baptizandi per gradus, ut Romæ videtur Baptisterium Constantini penes Ecclesiam S. Joannis in Laterano. Porro ferè ubique immersio mutata, seu ablata fuit, & prævaluit aquæ infusio; ob tres rationes, quas considerat Hierolexicon Magrii in *Verb. Baptismus*; videlicet, quia pueri tempore hiemis denudati nimis patiebantur; quia sæpe sæpius immersi in aquam, eam urina, vel stercore commaculabant; ut de Constantino Cæpronimo Imperatore, qui fuit persecutor Ecclesiæ & Sacrarum Imaginum, notat Eminent. Cardin. Baronius anno 719. num. 20. Et quia denudatio adultorum causabat non modicum verecundiæ respectum, & indecentiam in mulieribus, etsi in loco à viris, separato, & clauso ipsæ denudatæ baptizarentur, ut opinatur Vicecomes de Baptismo, *lib. 4. cap. 13.* quem refert Casallius *cit. part. 1. cap. 5. pag. 43.* contra quem insurgit, & quem acriter carpit & impugnat P. Menochius in *Scoresis part. 2. cap. 42.* omninò legendus, ubi pie, ac doctè probat, non esse credendum, quod mulieres, puellæve adultæ baptizarentur denudatæ.

DECISIO XXVI.

ARGUMENTUM.

Declaratur Baptismus Fluminis; & de eo refertur, an sit necessarium Votum explicitum, vel sufficiat implicitum? Item Utrum cum eo sufficiat Attritio, vel requiratur Contritio ad salvandam Animam.

SUMMARIUM.

- 1 Baptismus Fluminis quinam sit?
- 2 Adultus non baptizatus an possit obtinere gratiam justificantem?
- 3 Baptismus Fluminis an requiratur sui ipsius Votum explicitum?
- 4 Baptismus Fluminis in quo differat à Baptismo Fluminis.
- 5 Attritio an sufficiat ad salutem in baptismo Fluminis?

SEquitur secunda species Baptismi, qui vocatur Fluminis; ideò quæritur, Qualis sit Baptismus Fluminis; & in quibus differat à Baptismo Fluminis? Omnes Theologi docent, Baptismum Fluminis esse actum perfectæ contritionis, seu dilectionis Dei, cum voto suscipiendi Baptismum aquæ. Ita ex Conc. Trid. *sess. 6. cap. 4.* docent Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 6. Vers. Dico secundo.* Gobat, *d. tract. 2. num. 637. & ibi S. Thom. Vasquez, Suarez, & alii. Mastrius in 4. sent. disp. 2. num. 170. & Emin. Card. de Lauræa de Baptismo disp. 13. art. 5.* Hinc præfati Theologi, & Doctores deducunt, Baptismum in re non esse adultis simpliciter necessarium ad consequendam primam gratiam, & remissionem peccatorum; siquidem per actum contritionis, ac dilectionis Dei super omnia, cum proposito servandi divina præcepta, & voto recipiendi Sacramentum Baptismi, (cum ejus suscipiendi copia fuerit) homo adultus verè justificatur à peccatis, & consequitur jus filiorum Dei. Hoc autem probant